

Yb
645

VICISSITVDINES
STVDIORVM SCHOLASTICORVM
BREVITER EXPONIT
ATQVE
AD AVDIENDAM
OPATIONEM
ANNIVERSARIAE MEMORIAE
IO. CHRISTOPH. RICHTERI
SACRAM
OFFICIOSISSIME INVITAT
M. DAN. GOTTHOLD IOSEPHVS HVBLERVS
CONR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII



Inter alia, quae magistris scholarum vitio verti solent, hoc quoque est, quod dicant, illos veterum institutis docendique a maioribus acceptae rationi nimis religiose adhaerescere, nec, quae recentiores melius inuenerint, facile admittere. Quod, uti in quosdam conuenire videmus, ita ne in his quidem omnibus temere vituperandum contendimus. Primo enim multo difficilius mutantur, quae ad plures pertinent, quam res singulorum, ut plurimis exemplis a vitae cultu desumptis demonstrari potest. Deinde doctoribus in scholis raro liberum permittitur, antiquam docendi rationem cum alia, quamuis meliori, commutare. Hoc arbitrium est, et recte quidem, penes scholarum Curatores et Inspectores; qui si antiqua probant, nouaque contemnunt, Superiorum auctoritati cedendum est. Erunt forte, ut hoc utar, adhuc in vrbe nostra, qui sciant, quam male olim accepta sit philosophia illa Wolfiana, cum noster olim LV THERVS, de cuius laude nondum conticimus, eam in hoc Gymnasium admittere vellet; et quam acriter Viro optime merenti cum quibusdam conflictandum fuerit, quibus nomen illius immerito esset iniusum. Denique huius ordinis viris hoc largiendum credo, quod alius quisque sibi sumit, ut ab ea ratione, cui maximam vitae partem adsueuerit, non facile recedat, si modo probabilis sit, et sua quoque bona habeat: quoniam eiusmodi mutatio aetate proeecta vel difficillime instituitur, eamque ob causam per humanitatem condonanda videtur, vel raro prospere cedit, ut saepe numero melius fuisset, via, qua coeptum erat, porro progredi.

Neque tamen hoc vitium omnibus, qui in scholis docent, commune iudicandum est, ut ipsa rerum antiquarum memoria docet. Licet enim, quae post literas renatas scholis sapienter praescripta fuit docendi discendique ratio, nunquam prorsus sublata sit, verum hodie quoque vigeat, suamque utilitatem rerum peritis indies magis comprobet: subinde tamen in quibusdam immutata, et saeculi cuiusque studiis atque iudicio quodammodo accommodata fuit, quod interdum commodo rei litterariae, interdum vero aliter factum cognoscimus. Namque barbarie illa foeda, quae totam Europam multa saecula tenuerat, eiecta, litterisque quasi postliminio restitutis, nemo fuit inter cordatos homines, qui veram solidamque doctrinam aliunde, quam ex Graecorum Latinorumque fontibus deriuandam putaret. Hinc in iuuenilibus ingeniis expoliendis eorundem auctoribus ita utebantur, ut praestantissimos quosque pro modulo illius aetatis suis legendos et imitandos proponerent, ut, si fieri posset, ad haec praestantissima exemplaria se totos conformarent, vel saltem ex optimorum ingeniorum contubernio et familiaritate aliquantum venustatis, elegantiae, leporis, et quae sunt aliae istorum virtutes, contraherent. Hinc in puerili institutione graecis et latinis auctoribus primas partes tributas videmus, non ea quidem de causa

causa, quod graece et latine scripserant, sed quod, oraculis diuinis exceptis, nusquam reperiuntur libri, ad rationem et orationem efformandam magis accommodati. Vnde factum est, vt Philosophis, Oratoribus, Historicis et Poetis antiquis, regales quoque aulae paterent, hique Grammaticos, contemptum deinceps hominum genus, eo secum deducerent, quos Principibus parum acceptos fuisse statuendum est, si praeter linguarum scientiam, quae per se parum prodesse summis viris possent, nihil quicquam attulissent. Quod vnum quidem haec in causa satis magno argumento esse potest, neque sic eleuabitur, vt aliquis dicat: nullius gentis sermonem tunc temporis satis excultum fuisse, quin Principes latine quam barbare loqui maluissent; aut consuetudini aulae Romanae hoc tribuat, quacum cunctis Imperantibus plurima semper fuerint negotia. Etenim si res ita se haberet, amplius intelligi non posset, quare Principibus hae litterae non aliquot saeculis ante familiares factae sint, licet eadem causae subessent?

Praeter illas artes, quae ab humanitate hominem habent, aliis quoque disciplinis, philosophicis in primis, locus in scholis relictus erat. Quod vero in antiquorum libris perpauci inueniuntur, quos in harum elementis tradendis commode adhibere possis: neque recentiorum vtilem operam tunc aspernabantur. Etenim magnus ille PHILIPPVS non infra censum atque ingenium suum existimasset, eiusmodi libellis conscribendis ad puerorum subsellia se demittere: his imprimis utebantur, vt ille sic quoque vniuersam Germanorum iuuentutem erudiret. Omnino quae forma atque conditio scholarum inferiorum (particularum tunc audiebant) saeculo XVI. medio fuerit, ex iis disci potest, quae Serenissimus Princeps AVGVSTVS, de iis ordinandis constituit. Et hanc viam in puerili institutione vsurpatam fuisse, almae matris nostrae Freibergensis exemplo docere animus erat: quod vero ea narratio fines huius descriptionis excedere videbatur, in aliud tempus reiecta fuit.

In legendis vero veterum auctoribus duo praecipue spectabant, primum ipsam eorum praestantiam, quam tantam iudicauerunt huius consilii auctores, vt persuasam haberent, licet v. c. oraculorum diuinorum pars nulla graecis litteris mandata esset, virum doctum tamen et liberali eruditione excultum harum litterarum nullo modo expertem esse debere. Itaque eo tempore auctores non eo tantum consilio legebantur, vt linguas homines discerent: sed linguis discendis operam dabant, vt intelligerent auctores, quos per omnem vitam de manibus nunquam deponendos censebant. Atque eo commodius se res habebat, quod haec praestantissima ingeniorum monumenta iis ipsis condita essent litteris, quibus in aliis disciplinis sine summo damno carere non possumus. Igitur hoc quoque sibi propotuerant magistri, vt horum ope aditum ad omnem rerum diuinarum humanarumque scientiam iunioribus pararent. Optime sane cum
litteris

litteris vniuersis, cum re sacra atque civili actum esset, si vtrumque consilium
 serior aetas nunquam non esset sequuta. Sed vt etiamnum pauci sunt, qui in-
 telligant aut sibi persuaderi patiantur, has litteras vel propter se ipsas esse tra-
 ctandas, earumque vsum per se esse maximum, etsi ad alia doctrinae studia
 non referantur: ita olim idem euenisse, non est mirandum. Coepit nimirum
 plurimos fugere, artes propriam quandam eamque insignem vtilitatem habere,
 neque iis solum vt aliarum disciplinarum praesidiis vtendum esse. Quorsum
 tandem res euaserit, et quantum inde detrimenti res litteraria ceperit, iam alius
 isque summus in his litteris doceat, quod eius verbis maior erit auctoritas, in-
 uvidia nulla. „Sed nulla, inquit *), capitalior pestis, nulla maior corruptela
 „inuadere ingenia potuit, quam absurdae et pueriles quaedam de vtilitate ex
 „veterum lectione capienda opiniones, quae plerorumque animos occupauerunt.
 „Nam quod ad graecos quidem auctores attinet, non dubitant, quin his in pri-
 „mis legendi sint, qui ad Theologorum disciplinam appellere animum consti-
 „tuerint, vt scilicet eam oraculorum diuinorum partem intelligere discant,
 „quae graeco sermone confcripta est. Qui autem Iuris scientiam delegerint,
 „his graecorum auctorum lectione nihil opus esse: Medicos vero graecis litteris
 „carere non posse, quod in eorum arte multa sint de graeco fonte ducta voca-
 „bula. Iam latinos auctores, didicant, primum hac de causa pueris explicari,
 „vt, in Academiam delati, cum Professorum lectiones, tum doctorum in suo
 „cuiusque genere hominum libros latine scriptos, intelligere, in disputationibus
 „publicis volabilem linguam habere, et latine scribere possint. Atqui haec
 „peruersa opinio non valgi solum animis infedit, sed magnos quoque viros in-
 „terdum eius contagione affectos videmus. Quis, qualeso, vquam suspicaretur,
 praestantissimum illum Philologum, CHRISTOPH. CELLARIUM, de
 optimis artibus et admirandis ingeniorum monumentis ita contemptim sensisse,
 vt iis ex sola illa vtilitate, quam aliis scientiae generibus praesent, pretium
 statueret. Vix oculis meis fidem habere potui, cum primum in eius Disserta-
 tiones Academicas inciderem, et viderem, virum his litteris vnice deditum
 atque innutritum, nihil aliud a Graecorum et Latinorum lectione commodi
 sperasse, quam facultatem linguarum comparandam, et quae ad eruditionem
 proprie spectant. Sed is est, qui in Homeri et Hesiodi locum alios iuuentuti
 commendat poetas graecos **), „qui et breuitate sua expediri facile, et vber-
 „tate rerum prodesse multum, nec minus carminis rationem, quam principes
 „illi poetarum docere possint. Et quosnam? Aratum et Dionysium Perie-
 getam,

*) ERNESTI ὁ πρῶτος, in Dedicat. Opp. Cic.

**) cf. P. II, Diss. XII. §. 6 seqq.

getam. Virgilium quidem in scholis retineri e re litteraria esse censet: *) sed Georgica eius ob argumentum nostris studiis non maxime necessarium ad maius otium aut priuatam industriam vult referuari. Ergo nihil cogitavit, de ingenii Maroniani propria illa venustate, quae, (iudice eo interprete **) Virgillii, qui omnes alios longe post se reliquit) in nullo eius opere magis cognoscitur, quam in Georgicis, omnibus numeris absoluto, perfecto et expolito carmine. Idem porro in Terentio praeter formulas et locutiones nihil boni vidit, hinc, qui eas excerptas iuuentuti proponunt, consultius illi agere videntur †), quam qui integras interpretantur comoedias. Etiam ex epistolis Ciceronis, vt hoc vnum addam, eas tantum explicari vult, quae meliores tum sili causa sint, tum historiae Ciceronianae. „Quid enim, inquit, ‡) singularis eruditionis ex lib. I. ad Lentulum discant adolescentes; vbi fere nihil, nisi de reductione regis Ptolemaei agitur? quid ex tertio, qui plenus est taediosae contentions cum Appio?

Vtinam vero his finibus, quas Cellarius praescripserat, res substitisset, neque in peius etiam ruere coepisset: sed aliud inde malum ortum est, de quo minime cogitant. Nam qui ex litteris graecis et latinis hoc tantum sibi mendum putat, quod ad alias doctrinae partes cognoscendas proficit, multa profecto negliget, vel ad hunc fructum vberissima. Interpretationem librorum sacrorum ad summam rei theologicae pertinere, siue necessitatem eius spectes, siue insignem difficultatem, negare nemo audet. Hoc arduum vero negotium iis semper optime cessisse, qui in profanorum auctorum interpretatione probe fuerint exercitati, quanquam et rei ratio et multorum in vtramque partem exempla abunde declarant, paucis admodum persuasum est. Hinc qui sibi tantopere cauent, ne quid discant, quod eam artem, quam aliquando professori sint, non proxime attingat, Thucydidis lectionem sacrarum litterarum studiose inutilem, et bonas horas in aliis studiis melius collocari posse iudicabunt: quamvis lectio eius optima sit interpretandi disciplina †). Qui ad iuris scientiam animum adiunxerunt, et ad auream modo praxin aspirant, nunquam fere sibi inducunt, vt orationes Ciceronis futuro causarum patrono lectu utiles existiment, cum illa actionum forensium ratio hodie prorsus sit immutata: sed discant errorem suum non ex me, homine a studiis istis alienissimo, sed a Iureconsulto non ignobili, et in foro satis exercitato, vtpote Regi Magnae Britanniae a consiliis, in suprema Curia Hannouerana Assessori et Ciuitatis Hildesiae Proto-Syndico, IO. GEORGIO PERTSCHIO, qui in narratione de
vita

*) ibid. §. 30. 31.

**) HEYNE, V. CL. Prooem. in Georg. p. 115.

†) k. c. Diss. XIII. §. 2.

‡) §. 9.

‡) vid. BAVERI V. CL. Dissert. quae sic inscripta est.

vita sua *) expressis verbis dicit: „Dergleichen Defensions-Schrifft, da man mit „bloßen Muthmassungen alles darthun muß, kostet großes Nachdenken. „Wie solche wohl einzurichten, hatte ich aus Ciceronis Orationibus gelernt. „Atque sic pluribus exemplis demonstrari possit, omnium artium et disciplinarum commune quoddam inter se esse vinculum, easque continuatione quadam arctissime cohaerere. Quod vinculum qui soluant, idem mihi facere videntur, ac Socrati philosophi illi, qui vtile et honestum, natura cohaerentia, primum opinione distraxerant, vt non maior pernicies ab illis vitae hominum, quam ab his optimis artibus afferri potuerit.

Iam quae fata reliquarum disciplinarum in scholis fuerint, seruato temporis ordine, sed strictim, recensebimus. Ex testimoniis supra laudatis, cognoscitur, ex Philosophicis Logicam, ex Matheos partibus Arithmeticam et Sphaericam, denique Muscen in scholis locum habuisse. In Dialectica cognoscenda plerumque MELANCHTHONI operam dabant, deinde vero scholastica illa subtilior quam vtilior ratio rursus inualuit, quod saeculo XVII. fere medio factum putarim, controuersis inter nostros et Romanae ecclesiae affectas vehementius agitatis. Nam cum Pontifici, huic rationi vnice assueti, omnem disputationem ad eius normam dirigerent, nostrates suo ipsorum gladio eos iugulare, seque eorundem armis tegere statuerunt. Hinc scholastica philosophia, magno LVTHERO nostro adeo inuisa et grauissimis verbis exagitata, nouum in his terris domicilium sibi parauit, et in scholis vsque ad huius saeculi initia dominata est, donèc a THOMASIO, fortissimi animi viro, sedibus suis conuulsam, WOLFIVS iterum eiiceret, et alium sibi locum quaerere iuberet.

Vergente saeculo superiori CHRIST. WEISII studia inprimis claruerunt, quem vt laude multis nominibus ipsi debita nequaquam priuatum cupimus, ita eius artem oratoriam cum optimo quoque non probamus. Quae eius vis et forma fuerit, multi etiam norunt, cum ad nostram prope aetatem, ad annum huius saeculi trigessimum fere, vbique regnarit. Longe ille deflexerat a veterum praeceptis, hoc est, ab ea ratione, quae rebus ipsis tractandis atque animi humani naturae quam maxime esset accommodata. Poenituit illam eloquentiam omnem dicendi materiem ex ipso rerum propositarum fundo petere; contra ingenioli et multifariae eruditionis gloriam magna cum vanitate affectavit, neque aliud eo effecit, quam vt maxime inops cognosceretur, cum opes suas maxime iactaret. In elocutione non elegans, non pura, non venusta fuit, ornata quidem, sed ita, vt cultu aduentitio sibi que minime apto magis deformata videretur. Summo tamen applausu fuit excepta, neque in scholis solum ingenia

*) v. eius Versuch einer Kirchengeschichte, in praef. §. 8.

ingenia corrumpit, sed in vitae quoque celebritate ac luce fori caput suum extulit, et satis diu vixit, donec vir magni ingenii exoriretur, MOSHEMIVS, vel hac sola de causa immortalis memoria dignus. Quis illum meliora docuerit, aut quo fato felici ad liquidiores eloquentiae fontes delatus sit, equidem ignoro: sed eum primum fuisse, qui suo exemplo nostrates ad eloquentiae verum et incorruptum gustum rursus afflueret, res ipsa est documentò; et illud ipsum alios quoque, vt GOTTSCHEDIVM excitasse, vt in praecienda arte veterum vestigiis insisterent, nemini non verisimile videbitur, qui sciat, in artibus instaurandis exempla semper praecessisse regulas, hasque ab illis fuisse ductas.

Qui corruptam illam eloquentiam scholis et scriptis suis latius etiam propagavit, IO. HVBNERVS, alia tamen ex parte de re scholastica praecclare meruit, quod Historiae et Geographiae studium in scholas introduceret, in quo CELLARIVM quoque socium habuit. Antea hae disciplinae e scholis prope modum exulabant, vel ex Sleidani tantum et similibus libellis hauriebantur. Ipsi vero earum fines proferre coepere, et plurium populorum notitiam complexi, latioremscientibus campum aperuerunt. Fuerunt haec quidem historiae tantum incunabula et nihil nisi annales, qui solam rerum gestarum memoriam complecterentur, totumque illud genus *πραγματικόν*, (quod, qui non intelligit, e Polybio et eius commentatore Casaubono discat) adhuc ignorabatur, licet eius femina PVFENDORFIVS ille inter nos sparsisset, ipse *πραγματικόν*, hoc est, qui solerti praeditus ingenio, adiutus varia doctrina, confirmatus denique longo vsu rerum, subactus et tritus in rebus, earumque gerendarum (addo et conferendarum) peritus eussit: attamen fateamur necesse est, nisi haec tum fundamenta iacta fuerint, neque deinceps meliora illis superstrui potuisse.

Historiam Philosophia excepit. Etenim cum WOLFIVS totius fere Germaniae studia in Philosophiam accendisset, et philosophis omnia implemisset, eius placita ad inferiores quoque scholas viam inuenerunt, vt saltem in Logicis meliora et utiliora antiquis tradi coepissent. Neque vero desuerunt, qui adolescentes per omnem Philosophiae orbem ducerent, et hunc in finem eius elementa peculiaribus libris traderent, quo in genere ERNESTI liber vere classicus et est et habetur. Quod studium si modo ita temperari potest, vt literae graecae et latinae non frigeant aut vilescant, non equidem vt vilitissimum et huic aetati maxime conueniens laudem, vt vero prorsus improbare audeam, summorum virorum obstat auctoritas. Mathesi tamen plus tribuerim, quae vna cum philosophia meliori in scholis fuit restaurata. Quanquam enim eius partem, Arithmeticam antiquitus in scholis traditam scimus, haec institutio tamen omnis ad vitae usum et vulgaria praecepta spectauit: propria illa Mathematicorum ratio, quae partim ad ingenium acuendum valet, partim illud a rebus sensibilibus ad intelligibiles contemplandas sensum traducit, prorsus neglecta fuit.

46. 645. 09. X 3293731
fuit. Sed posteaquam idem ille Wolfius et saepe monuisset, et exemplo suo confirmasset, quantum adiumenti ad grauiores disciplinas ab hac arte peti possit; iuuenilia quoque ingenia eius seueritate subigi coeperunt, quippe quae, vt Quintilianus monet, non, vt ceterae artes, tum tantum prodest, cum percepta est, sed inprimis etiam cum discitur.

Postea vernaculae quoque et exterorum linguis in scholis operam dederunt, quod verbo tantum indicamus, ne fines huius prolusionis transgrediamur. Et licet iam satis magna sit rerum in scholis discendarum copia, quae cum utilitate discendum amplius augeri posse non videatur; exorti tamen sunt paucis abhinc annis, qui et artes oculorum iudicio subiectas apud nos desiderarent, et iuuenes pictorum, sculptorum et similium artificum operibus cognoscendis ad verum et incorruptum pulchri sensum, cuius vis latius deinde et ad omnem vitam patet, assuescieri vellent, et proinde LIPPERTI Dactyliothecam inprimis commendarent; quod consilium multis de causis comprobamus quidem, sed maiores sumtus requirere videmus, quam vt illud in hac publica et priuatorum inopia exsequi liceat. Memini etiam audire, qui vtile arbitrantur, rerum naturalium quoque notitiam, earum inprimis, quae ex terra eruuntur, adolescentibus impertiri debere. Sed huius monitis omnibus si parere vellemus, verendum esset, ne tandem res scholastica mole sua laboraret, et vel nihil recte, vel scitu maxime necessaria non satis perciperentur; praesertim vt nunc fere sunt ingenia iuuentutis, a communi saeculi morbo, quod ad molliem nimis proclive est, haud prorsus immunia, quibus discendi labor potius minuentus quam augendus videtur.


Horum vero numero eximendus est is, quem iam producimus, et omnibus, qui litterarum cultoribus fauent, impense commendatum cupimus,

DANIEL FLEISCHER,

Pretschendorf Misn.

Quandiu enim apud nos fuit, ingenii solertiam, studium litterarum acerrimum et morum integritatem omnibus abunde probauit. Hic, quae PATRONORVM Grauissimorum fuit liberalitas, beneficio illo ornatus, quo IO. CHRISTOPH. RICHTERVS, quem honoris causa nominamus, ad Academiam abituros instrui voluit, pium in Testatorem et huius muneris Curatores animum solemnni oratione declarabit, et sermone latino *Benignitatem in studiosos litterarum* commendabit. Huic instituto vt faueant PATRONI atque FAVTORES scholae nostrae, et crastino die, hora IX. audita, honorifica sua praesentia dicturum ornare, atque sic propensum suum in litteras earumque cultores animum ostendere velint, ea, qua par est humanitate atque obseruantia rogamus.

Freib. Cal. Iun. A. R. S. c1510 CCLXXII.



Yb
645

VICISSITVDINES
STVDIORVM SCHOLASTICORVM
BREVITER EXPONIT
ATQVE
AD AVDIENDAM
OPATIONEM
ANNIVERSARIAE MEMORIAE
IO. CHRISTOPH. RICHTERI
SACRAM
OFFICIOSISSIME INVITAT
M. DAN. GOTTHOLD IOSEPHVS HVBLERVS
CONR.

FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII

